

Eilhard Lubin

**ILLUSTRISSIMI MEGAPOLENSIUM DUCIS,|| MAGNI NEPOTIS,|| ALBERTI FILII,||  
VDALRICI || REGINAE DANIAE PATRIS,|| REGIS AVI,|| Patris Patriae,||  
Desideratißimus in urbem suam Rosto-||chium ad Academiae suae visitationem ||  
ingressus,|| Carmen,|| In quo boni principis IDEA pro-||ponitur,|| Scriptum ab ||  
EILHARDO LVBINO Poëseos Profeß. P.||**

Rostock: Reusner, Christoph aus Neustadt, 1599

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1002880866>

Druck    Freier  Zugang



MK 1125 (3) 8



Illustrissimi Megapolensium Ducis,  
MAGNI NEPOTIS,  
ALBERTI FILII,  
**V DAL RICI**  
REGINÆ DANIAE PATRIS,  
REGIS AVI,  
Patris Patriæ,

*Desideratissimus in urbem suam Rosto-  
chium ad Academia sua visitationem  
ingressus,*

# Carmen,

In quo boni principis IDEA pro-  
ponitur,

Scriptum ab  
EILHARDO LVBINO Poëseos Profiß. P.

Excusum apud Christoph. Reusnerum.  
ANNO 1599.

MK - 1125 (3) 8

V. D. M.  
Verbum DEI Ma-  
net.



PRO CHRISTO  
ET PATRIA.



8/8 2511 - 200

**S**ALVE Augusta dies nostro nitidissima  
cælo,

Quâ novus hanc Roseam irradiat sol  
aureus urbem,

Stirps illa antiquorum Henetorum maxima gentis,  
Quæ quondam indomitis Europam terruit armis,  
Ille Pater Patriæ, dux Balthæ ad litora magnus  
**V L R I C V S**, cuius ductu auspicioq; tot annis  
Terra potens Megalespoeos viget atq; virescit  
Consimili auspicio nunquam expertura ruinas.

O Pater, ô patriæ dux felicissime nostræ !  
Qui dum pulsat Eris privata & publica passim,  
Dum sacra ambitio passim mortalia turbat,  
Dum passim horribili tremit omnis terra tumultu,  
Dum Furijs agitata suis feralis Enyo  
Iam toti auditum mundo Tara tan tara clangit  
Teutoniæ passim ingeminans bella horrida bella:  
Erigeris, contraq; mala hæc audentior intras  
Adverso excipiens hæc omnia pectore tela.  
Qui dum consilio, auxilioq; & Marte tuêris,  
O dux magne, tuos, hæc tot discrimina rerum  
Inter, & armorum strepitus, tantosq; tumultus;  
Non Musarum oblitus, & hujus Pallados arcis  
Admonitu superum jam Academiæ ad æqua Balthes  
Rostochij, patrio inflammatus amore revisis

A 2 Has

Has laeeras Musas, nutantem hanc Palladis arcem,  
Quæ laniata comas, passisq; ad sidera palmis  
Auxiliumq; DEI, patronorumq; suorum  
Iamdudum implorans supplex in vota vocavit.

Tu mihi carmen eris, atq; immortalia facta,  
Dux VL RICE, tua hæc, dum custos usq; tuorum es,  
Nunc adeo imprimis dum res in acumine ferri  
Iam stat, & exitium trahere incipit atq; ruinam,  
Evigilas, proq; omnibus excubias agis unus.  
Quando tuos armis tutaris, moribus ornas,  
Legibus emendas, privati oblitus id unum  
Curas, ne capiat res publica detrimentum.  
Nec minus illud agis, quonam hæc Academia talo  
Et respublika stet post fata tua ultima vitæ  
(Quis sit tarda dies, & nostro senior ævo)  
Quam jam te vivo & populos in pace regente.  
Atq; alios inter multos intelligis unus  
Iudicijs, templisq; Scholisq; & legibus almis  
Neglectis, parvisq; malis gliscentibus olim  
Non minus exitium & damnum indelebile multis  
Contrahi in imperijs, quam externo Martis ab hoste.  
Ergo age, maxime dux, ô sanguen Dis oriundum,  
Cujus in imperio Regum <sup>rex</sup> maximus ille  
Hospitium hic templisq; suis, Musisq; sacravit;  
Quæ fidei commissa tûæ, atq; hæc docta Lycæa  
Imprimis defende D E I auspicio atq; tuere.  
Dumq; latrocinium externi diri hostis Iberi  
Auspicio superum nostris à mænibus arces,  
Internos animorum hostes, morbosq; furentes

Quæis

Quæis luctata diu jam atroci Academia languens  
Vulnera cor, fibras de pascitur, atq; medullā,  
Pelle etjam procul hinc, tot sparsa heic semina sacræ  
Ambitionis, avaritiæ, cuppedinis, iræ,  
Barbariæ imprimis, violenti gurgitis instar  
Quæ irruit, & linguas, artesq; & docta Licēa hæc  
Obruert, & Sophien procul hinc, procul inde fugabit.  
Tu talem & tantam à nobis averte ruinam  
Et capita hæc Eridos, quæ ceu Lernæ hydra paludis  
Pro uno abscisso alijs septem numerosior usq;  
Pullulat, & paullatim atrocior usq; resurgit  
Confice, & in solidum cervicem incide Chimæræ,  
Et veteres artes, veterem concordiam, & illud  
Vindice quo nervo nostra hæc Academia quondam  
Floruit, atq; alias latè caput extulit inter  
Auspicio superum revoca jam ad tela diei.  
Quod felix faustumq; velit magni arbiter Orbis  
Aetheris, Inferni, Maris, & terræ Induperator!  
Amphitruoniades, quod Lernæ virus Echidnæ,  
Colla venenatis hydræ vallata colubris.  
Contudit, Arcadiumq; suem, horrendiq; leonis  
Saltibus in Nemees frondosæ immanis hiatum,  
Et Cretæ taurum, trepidandasq; unguibus urbis  
Arcidiæ volucres propter Stymphala volantes,  
Et Diomedis equos trucis, Hesperidūq; Draconem,  
Et reliqua in mundo hoc immania monstra subegit  
Dicitur in cæli post mortem tempora receptus.  
Verum hæc quæ quondam memorem Iunonis obiram

A 3      Impe-

Imperio Eurysthei virtus magni Herculis ingens  
Omnia fatali portenta labore subegit  
Si non victa forent quid tandem viva nocerent?  
Quanto hic est major vivos homines Deus inter  
Quem victrix mundi Prudentia, & inclyta virtus  
Terrarum imperij moderari jussit habenasq;  
Qui portenta animi, lites, inimicitiasq;  
Funestæ ambitionis, avaritiæq; rapacis  
Semina, queis jam terra ferox, queis terra ferax est  
Imitus eruit, & pacem, harmoniamque reducit:  
Publica privatis secernere, sacra profanis  
Opida munire, & leges ac jura tueri  
Qui studet, atq; adeo positis qui legibus almis  
Qui justi imperij latis sapienter habenis  
Monstra animi domat, atq; hominū portēta refrenat.  
Non etenim in terris alia est immanior ulla  
Belua, nulla Chimæra eructans faucibus ignes,  
Non lupus, ursa, leo, Draco, non truculentior ulla  
Pestis & ira Deûm Stygio sese extulit Orco,  
Quam populus capitum multorum belua, quando  
Lege & Rege caret, nec honestis artibus omnem  
Deposituit feritatem animi, moresq; ferarum.  
Nempe hi sunt cautes, hi saxa, hi flumina, silvæ,  
Evulsiq; suis scopulis radicibus altis,  
Hi tigresq; feræq; leones, atq; dracones  
Silvestres homines, quos post se Thracius Orpheus,  
Alter & Amphion Thebanæ conditor arcis  
Divini eloquij blandâ testudine duxit.

Quis

Qui passim in silvis vixissent more ferarum  
Opida cæperunt moliri, & condere leges.

Mille igitur voces populi diversa sonantis,  
Mille hominum capita in diversa tuentia, ut aptè in  
Harmoniam redigas unam, & conjungere possis.  
Hic animis, hic arte opus est, non robore vasti  
Corporis indomito, formidandisq; lacertis.  
Quis neget hæc opera esse DEO vicina, DEIq;  
Omnia & hæc inter mortalia maxima mundi s.  
Jure igitur princeps patris omnipotentis imago est,  
Terrarumq; deus, Divis quoq; proximus ipsis,  
Dū custos hominū est, proq; omnibus excubat unus.  
O felix nimis Imperium, (& quo majus in orbe  
Nil unquam meliusve fuit) cum legibus almis  
Paretrite suis princeps, cum subditus omnis  
Principibus quoq; ritè suis; quibus ille Deorum  
Maximus & sceptrum, & leges dominantur ut illis  
Concessit, quibus una salus populi atq; suorum  
Lex suprema manet, qui exemplum civibus esse  
Se meminere suis, atq; altâ in sede locatos  
Conjectosq; in sese oculosq; animosq; suorum  
Viva ut lex specimenq; sient pietatis, & almæ  
Iustitiae, plusq; exemplo quam criminè magno  
Semper obesse suis, & regum moribus omne  
Institui imperium melius, quam legibus aspris.  
Tuq; adeo qui sceptra tenes, populosq; gubernas  
Cui maris & terræ rector vitæq; necisq;  
Ius dedit imperiumq; hoc semper ubiq; memento  
Sis

Sis quod imago DEI cælum terramq; rēgentis.  
Ergo imitare Deum; & mundum velut ille gubernat,  
Sic tu urbes populosq; tuos. Velut ille boni omnis  
Exemplum specimenq; imitandum se exhibet orbi;  
Sic tu iustitiæ specimen, virtutis, & æqui  
Te propone tuis; procul & velut ille remotus  
Turpi ab avaritiâ, vanâ ambitione, nec ullâ  
Tangitur invidiâ, nullâq; libidine & irâ,  
Talem etjam esse dece te princeps: & velut ille  
Est mitis placidusq; pater, veniæq; paratus,  
Nec quoties peccât homines sua fulmina vibrat,  
Quin etjam quos impietas, superumq; odium atrox  
Concitat, his oritur Sol, his arva imbre rigantur  
Ingratis quamvis: Sic tu bonus atq; benignus  
Et pater esse memento tuis. Tum deniq; felix  
Imperium tuum erit, felix tu eris, atq; tui omnes  
Principio cum operum, medioq; & fine tuorum,  
Ante oculos statuis tibi cæli hoc numen & orbis,  
Iustitiæq; omnisq; boni caussam atq; parentem,  
Et meditare hujus quod viva figura & imago  
Sis homines inter, quamvis in imagine parvâ.  
Nempe ita nulla tuam turbabunt crimina mentem  
Nullum odium, nulla ambitio, non ulla libido,  
Nulla ira aut livor, nec habendi sacra Cupido  
Iustitiæ te unquam recto de tramite ducent.  
Hæc quia sunt non digna DEO, non digna sedenti  
Sanctâ in sede DEI magna ad subsellia rerum.  
Principis ergo boni cum sint tria munia, solum  
Rite

Ritè Deum venerari, & justas condere leges,  
Et Regere imperio populos: Hic induperator,  
Hic rex, hic princeps, qui ritè DEV M est imitatus,  
Rite D E V M coluit; NEC cultus pulcior alter,  
Non major meliorve Dei, quām in principe magno  
Optimus est, sanctusq; animus, specimenq; Tonantis.

Proxima subsequitur dignissima principe virtus  
Legibus imperium firmare, & jure tueri,  
Judicio imprimis, quo jus tribuatur & æquum  
Vnicuiq; suum: Cui præsit Justitia ipsa  
Judicibus stipata suis; quos Justitiæ SOL  
Illustret radijs, & justi juris & æqui  
Reddiderit Mystas, atq; organa sacra Themistæ,  
Quorum oculos nunquam rutilo perstringat ab auro  
Fulgor, & intortis doceat speciem addere recti,  
Et falsis veri: Queis toto tempore vitæ  
Fixum animo æternum siet, æternumq; futurum  
Recti conscientia mens homini tutissima virtus,  
Nec totâ transversam unguē hinc discedere vitâ.  
O Sanctum nimis imperium! O Respublica felix  
Quæ sceleri pænas, Virtuti præmia sanctis  
Legibus, & sancto decernit judice. Nempe  
Hæc est vita boni Imperij, hæc anima atq; medulla  
Quâ viget & vivit; Sine quâ sine honore jacebit  
Exanimata omnis Respublica, seq; suoq;  
Dum præceps agit in varias convulsa ruinas.  
Deniq; ei imperium diuīm pater atq; hominum rex

B Conces.

Concessit, sceptrumq; suos tueatur ut illis.  
At quale imperium, qualisve data illa potestas?  
**N**ēpe quod imperium in se se ipsum exerceat omnes  
Ante alios, atq; imprimis sibi qui imperet ipse,  
Atq; unā virtute alios regat, atq; seipsum,  
Qui adfectus domitos habeat, qui vincere possit  
Sese ipsum ante hostes, & qui præbere sacratis  
Legibus imprimis recteq; monentibus aures.  
Non rectè imperat hic, qui nunquam paruit olim,  
Nec regere ille potest, qui non parere regiq;  
Quippe sui imperium qui exercet cunq;, suosq;  
Imperio adfectus subigit rationis, & acres  
Hos dominos domitos habet, & ratione coercet,  
Solus hic Induperator erit, solusq; Monarcha,  
Victorumq; adeo victor cluet, atq; triumphat.  
**T**alem te finxit ter maximus ille Prometheus.  
Emeliore luto, o patriæ bene fida columna  
Dux VLRICE, tuæ, cuius laus didita latè,  
Teutoniæ in terras non ullo marcida sæclo  
Æternum usq; viget, cuius post fata superstes  
Hinc per Teutonien ultra Alpes fama virescit,  
Arida dum pluvio tellus lætabitur Austro,  
Gaudebitq; seges cælo matura sereno.

O felix nimium duce te bona si sua nōrit,  
Quæ sibi cura DEI te principe provida tanto  
Largiter indulxit, nostra hæc, tua patria tellus!  
Atq; utinam te jam vivo hæc cognoscere posset,  
Et non, more malo, tum demum agnoscat, ubi illa

**Ex**

Ex oculis sublata videt, serò inq; gemiscit.  
Relligio in primis toto sanctissima mundo,  
Israël puris liquidisq; è fontibus hausta,  
Pestiferis olim jam defæcata venenis  
Antichriste tuis, cæli radiantibus astris  
Clarior hic longè & latè sua lumina spargit.  
Illustratq; suis radijs hic tempa Scholasq;,  
Hæreleon tenebris procul hinc, procul inde fugatis.  
Hanc tu, maxime dux, adeo non Marte tueris,  
Ordine, judicioq; & latis legibus almis  
Eximijsq; viris almæ pietatis amore,  
Ingenio, integritate, fide, & virtute verendis;  
Quam vitâ, factisq; tuis, & moribus aureis,  
Exemploq; tuo, quo per vestigia sancti  
Carpis iter verbi, & ducis benè ritè sequentes.  
Nam tibi cū populi & patriæ imperio unica semper  
Primaq; cura fuit verbi tutela sacrati,  
Et gregis exigui, quem primâ ab origine mundi  
Hostes innumeri tot circum insultibus urgent.  
Atq; hæc sollicita imprimis te cura fatigat  
Hunc stabilire viris vitâ & sermone probatis,  
Ritè DEI sacris possint qui assistere, munus  
Pastoris patrisq; pij exercere, luporum  
Arcere infidias, divini semina verbi  
Spargere ubiq;, docere rudes, firmare labantes,  
Castigare malos, verbi virtute potentis  
Hæreleon tenebras procul hinc pulsare furentes,  
Vnius & Christi meritum omni exponere mundo.

B 2 Quid

Quid memorem his terris jus judiciumq; renatum  
Auspicio ductuq; tuo, illustrissime princeps,  
Consilio superum? Nam quæ timefacta timore  
Improbitate hominum toto fuit exsul ab orbe  
Ultima cælestum terras Astræa relinquens;  
Nunc iterum demissa polo, terrasq; requirens  
Posthabitis reliquis terram magis omnibus unam  
Hanc colere, atq; adeo hic sedem fixisse videtur.  
Et meritò. Nam quem unquā aliū Germanicus orbis  
Hucusq; inde à Magne, tuis, ô CArole, sæclis  
Et tot principibus tanto jam tempore vidi  
Vllâ ætate parem, ullâ ve ætate priorem?  
Qui candore pari, atq; pari virtute, fide, atq;  
Dexteritate, ô sancta Themis, tibi sacra ministret;  
Cui Zelo atq; ardore pari, defendere justos,  
Parcere subjectis, miseris succurrere, lapsos  
Erigere, afflictos regere, oppressosq; tuéri;  
Condemnare malos, & debellare feroce,  
Et contemtores legum punire rebelles,  
Atq; hoc personæ respectu nullius una  
Semper cura fuit. Virtuti atq; ejus amicis  
Scilicet uni æquus, contra formido nocenti  
Hoc agis, ô nostri exemplum memorabile sæcli.  
Hinc tu, justitiæ & juris divine sacerdos,  
Judicijs præs ipse, atq; altâ in sede repositus  
Ante alios judex incorruptissimus ipse  
Cognoscis caussas, & justis legibus æquas,  
Atq; adeo hoc etjam in viridi hâc, sanctâq; senectâ  
Quis

Quis talem ac tantum te dignis laudibus æqueret?  
Et quis te nostro talem haud miretur in ævo? (virtus  
Certè ego te, & quis non mecum bonus? Hinc tua  
Quâ patriæ, dux magne, tuæ aurea sæcula præstas  
Pacem & justitiam latè ad Solem usq; cadentem  
Teutoniæ in terris Solis se pandit ab ortu.  
Magnus erat CÆSAR, qui quondam totius orbis  
Indomito dominos domuit sub Marte Quirites:  
Major Alexander Magnus fuit ille Philippo  
Natus Rex Macedo, toto qui jam orbe subacto,  
Flevit non plures mundos superesse domandos:  
Maximus Alcides, qui mundum Solis ab ortu  
Solis ad Occasum circum undiq; & undiq; lustrans  
Monstrorum domitor, fatalis robore dextræ  
Invicto portenta immania profligavit. (orbis  
Magnum horum imperium, sed non sine clade sine,  
Pernicie ingenti, atq; extremâ strage suorum  
Immanes diriç; truces egere tyrannos;  
Luxuriâ, scelere, ambitione, libidine, & irâ,  
Victores armis vitijs victi occubuerunt:  
Dum rabies atrox vivum Alcidem egit in ignes,  
Et reliquos folio exturbavit sæva tyrannis,  
Hunc cæde, illum atra stygos actum ad stagnaveneno.  
Imperium tibi majus adest paucis licet illud  
Limitibus cinctum, quod habes sine Marte, sine ullâ  
Jacturâ alterius, dum à te imperium incipis ipse,  
Et potis es rex esse tui, teq; ipse gubernas,  
Nec tibi quid liceat, sed quid fecisse decebit

B 3 Occur-

Occurrit, mentemq; domat respectus honesti.  
Sponte suâ tellus paret tibi patria, quâm tu  
Non bello, sed pace capis, sed pace gubernas;  
Atq; hâc arte tuos æterno nos tibi amore  
Devincis, patriæ tutorq;, decusq;, paterq;;  
Nil oriturum aliâs, nihil ortum hic tale fatentes  
Litus ad hoc Balthes, tibi ob hoc à pectoris imo  
Fortiter addictos, corpus, vitamq;, animumq;;  
Fortunasq; omnes pro te exposuisse paratos.

Tot benefacta tua, & merita immortalia, princeps,  
Majori jam alio accumulas merito & benefacto :  
Dum nostri te cura & sollicitudo fatigat,  
Dum nostri patrio inflammatus amore tuorum  
Illustrē hanc Academi umbrā, & tua docta Lycēa hæc  
Consilio superum, dux maxime, visere gestis.  
Cūq; adeo tot passim in nos merita äpla tua exstent,  
Vt citius benefacta tua hæc laudando fatiger,  
Quâm benè tu faciendo æterno carmine digna :  
Præcipuum tamen hoc, quod latè alia eminent inter  
Omnia, quod non ulla dies memori eximet ævo,  
Quod tua, Varniades, sanctissima numina, Musæ,  
Et quod Apollo tuus, Roseis qui præsidet arvis,  
Et quod magnorum docta illa corona virorum,  
Et juvenum studiosa cohors spes magna futuri  
Temporis, æternis ad sidera laudibus usq;  
Tollet, & haud ullo unquam obliscetur in ævo,  
Dum se hic pinniferæ tollent ad sidera turres,  
Dumq; Roseta tua hæc tumido circum alluet ampe  
Varnus,

Varnus, & hæc tua docta Lycæa, & Palladis arces.  
Verbum Christe tuū, & Sophiæ sacra dia sonabunt.  
Scilicet adventus patriæ pater optime nostræ  
Tanta tui spes est, atq; exspectatio; nunquam  
Nos falsura tuos, cuius bona didita latè  
Fallor, an ad seros se extendent usq; nepotes.  
Relligio his terris te principe Sole refulget  
Purior, atq; alias quoq; terras diva serenat;  
Justitia his terris te principe sole coruscat  
Clarior, injusti tenebras formidine pulsans;  
Aurea pax patriæ nata est te principe terræ,  
Grata quies, nec jam tristis te principe belli  
Audebit rabies patriam attentare, timendi  
Non hostes; voluit sic provida cura Tonantis.  
Deniq; sollicitâ nos curâ animoq; paterno  
Dextra benigna tuos sustentat sumtibus amplis.  
Restat ut illud agas studioq; animoq; paterno  
Ut quæ nunc præsens, populosq; in pace gubernans  
Auspicio superâm feliciter absolvisti,  
Quantum in te fuerit vel post tua fata reserves.  
Hoc iter ad cælum est, hæc scanditur arduus æther.  
Quæ monumenta tuæ virtutis nullius ævi  
Posteriorum animis abolērit sera vetustas.  
Vox olim immanis fuit hæc scelerata tytanni;  
Me moriente omnis terra absumatur ab igni:  
At longè altera vox immanior illa Neronis;  
Me quoq; vel vivo, Procul hinc, procul inde remota  
O desiderium, & nostris spes maxima rebus,

Mens.

Mens tua; quā nihilō curas minus illa futura,  
Post obitum, quam jam nunc te præsentia vivo.  
Nam commune bonum es, toti& te credere mundo  
Non dubitas genitum, quod præsens atq; futura  
Sentiet, & meritis attollet laudibus ætas.


O quas pro tantis, dux Illustrissime, grates  
Nostrā ætate ducum gemma atq; medulla bonorum  
Docta Lycéa tua hæc memori tibi mente reponent?  
Nempe tuis facta est meritis injuria nobis  
O dux magne, Quibus cum' omnis sit gratia nostra  
Impar, ut innumeris benefactis obruta, restat  
Ingrati ut vivamus, & ingrati ut moriamur.  
Qui cū, magne, tuis meritis nil dignum habeamus,  
Id quod adest memori tibi mēte reponimus omnes,  
Hos animos nostros, & nos, quanti sumus, ipsos,  
Devotos studio tibi, devinctosq; perenni.  
Consule quæso boni hos, qui præstent debita cū non  
Æternæ æquabit cumulatim hæc munere vitæ  
Maximus ille ducum, regum rex maximus ille:  
Vnde tibi in cælis merces immensa reposta est.

Vive diu, ô patriæ fortunatissime princeps,  
Vive diu, populosq; tuos in pace gubernā,  
Deq; tuis nobis porro benè perge mereri.  
Sis felix, te dextra DEI tueatur & ornet,  
Dextera, quæ post hæc mortalis lubrica vitæ,  
Te quondam æternæ decorabit frundis honor.

## D I X I.







Mens tua; quâ nihilò curas minus illa futura,  
Post obitum, quam jam nunc te præsentia vivo.  
Nam commune bonum es, toti& te credere mundo  
Non dubitas genitum, quod præsens atq; futura  
Sentiet, & meritis attollet laudibus ætas.

O quas pro tantis, dux Illustriſſime, grates  
Nostrâ ætate ducum gemma atq; medulla bonorum  
Docta Lycéa tua hæc memori tibi mente reponent?  
Nempe tuis facta est meritis injuria nobis  
O dux magne, Quibus cum omnis fit gratia nostra  
Impar, ut innumeris benefactis obruta, restat  
Ingrati ut vivamus, & ingrati ut moriamur.  
Qui cū, magne, tuis meritis nil dignum habeamus,  
Id quod adest memori tibi mēte reponimus omnes,  
Hos animos nostros, & nos, quanti sumus, ipsos,  
Devotos studio tibi, devinctosq; perenni.  
Consule quæſo boni hos, qui præſtent debita cū non  
Æternæ æquabit cumulatim hæc munere vitæ  
Maximus ille ducum, regum rex maximus ille:  
Vnde tibi in cælis merces immensa reposta est.

Vive diu, ô patriæ fortunatissime princeps,  
Vive diu, populosq; tuos in pace gubernा,  
Deq; tuis nobis porro benè perge mereri.  
Sis felix, te dextra DEI tueatur & ornet,  
Dextera, quæ post hæc mortalis lubrica vitæ,  
Te quondam æternæ decorabit frundis honore.

## D I X I.